

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

JOANNIS SECUNDI FUNERUM LIBER.

IN OBITUM CLARISSIMI VIRI NICOLAI EVERARDI, MEDIOBURGENSIS,
PATRIS PIENTISSIMI QUERELA.

F_1	v.1	Ilicet, invenit vox interclusa meatum,
	2	exiguamque viam per tot suspiria duxit,
	3	et condensatae ruperunt claustra querelae
	4	pectoris angusti : nunc, dum licet, ite per auras
	5	clamoresque graves, et feminei singultus,
	6	sublimisque meo pulsetur regia questu,
	7	agnoscantque suum fatalia sidera crimen,
	8	palleat et Phoebus, nigrescat et ignea Phoebe,
	9	stellaque nulla vago lucem depellat Olympo,
	10	nox tenebris incincta caput nigrantibus adsit ;
	11	mors tenebris longoque oculos immersa sopore,
	12	quidquid et observat nigra limina flebilis Orci,
	13	ante meos oculos pallentia proferat ora,
	14	adspiciam cunctos hodierna nocte dolentes,
	15	adspiciam nullos ridentes luce sequenti,
	16	non levis occurrat sponsae placituras amatae
	17	purpureus juvenis, nec compta puella marito ;
	18	omnibus in vicis mihi se pullata caterva
	19	offerat, infelici humeros onerata feretro.
	20	Quos circum nigra frontem velata cupressu
	21	funereas plebs tota faces per compita quasset.

22 Huc veniant lacrimae, Niobe quibus obruta mater
 23 non abstergendas tulit in nova marmora guttas ;
 24 huc veniant gemitus, gelidus quos audiit olim
 25 Haemus, et indoluit vidui bis sorte mariti.
 26 Quosque graves planctus per et aethera fudit et aequor
 27 conjugis agnoscens, at non sic exspectati,
 28 pallidulum cano quassatum gurgite corpus
 29 flebilis Alcyone plumis tectura dolorem.
 30 Et quoscumque sonos infelicissima Procne
 31 vel dedit audita crudeli morte sororis,
 32 vel cum tam misere superesse videbat eandem.
 33 Et quidquid Priamus lacrimaverat Hectore fuso,
 34 et quidquid Priamo caeso Priameia conjux,
 35 proruat huc geminetque meo de vulnere vires.
 36 Quaeque meis lacrimis nondum maduere sepulcra,
 37 cara sepulcra, sepulcra patris maestissima cari,
 38 nec nostras habuere rosas, nec olentia sarta,
 39 has voces, has accipiant de gente remota
 40 luctisonas voces, quas et Nabatheus Euris,
 41 frigida flabra movens orientis conscia solis
 42 audiat, et Zephyrus declivi sole tepescens,
 43 quaeque jacet Phoebi tellus ignota quadrigae,
 44 suspirentque meis longinquae fletibus aerae.
 45 Haec, pater infelix, haec subsidentibus annis
 46 praemia debebas operosae sumere vitae ?
 47 Fas erat emensis agitati fluctibus aevi
 48 tranquillo in portu corpus componere fessum,
 49 et laetam positis curis evolvere vitam,
 50 quae nunc vecta procul Lethaeas nuda per undas,
 51 ingemit humani molimina vana laboris.
 52 Forsitan atque animas si quas redeuntibus annis
 53 fata jubent iterum superas evadere ad auras,
 54 consuetoque novum moderari flamine corpus,
 55 admonet, ut curis numquam innectantur amaris,
 56 sera neque extendant in longam vota senectam.
 57 Tune igitur loca pallida, tu squalentia regna,
 58 ignavique nigrum Cocyti litus oberras ?
 59 Nec virtus tua, care pater, tibi profuit uni ?
 60 Nec pietas, justique amor inconcussus et aequi ?
 61 Quin iter obscurum, fatis urgentibus, ires,
 62 et natis miseris et multum flente marita,
 63 et populo indignante, et suspirante senatu.
 64 Nos, pietate tua studiisque fidelibus orbi,
 65 taedia desertae traheremur in aspera vitae ;
 66 qualiter implumes celsa super arbore pulli
 67 amissum trepidante parentem voce requirunt,
 68 quem dum pauca suis pro pullis grana legebat,
 69 agricolae rigidi telum confixit in herba :
 70 flent illi tenuique sono loca frondea complent,
 71 si qua exspectatum videant revolare parentem.
 72 Felices illi, quia numquam certa videbunt
 73 signa necis patriae. Nos cogimur omnia scire ;
 74 et nobis homines, et nobis muta papyrus,
 75 et nocturna malum funestum somnia narrant.
 76 Si tamen est aliquid quod de tellure sepultis
 77 fertur, et antiqui non fingunt omnia vates,

78 innocuaeque animae mundo meliore fruuntur
79 colle sub Elysio, vel si quid amoenius illo est,
80 inter odoratas laurus ad flumina sancta,
81 sole sub ambiguo traducis in otia laetos
82 lenta dies, neque nocte umquam, neque nube tegendos.
83 Et quocumque moves gressus, tibi totus eunti
84 adsurgit late populus, tibi magnus eunti
85 it comes, Elysia redimitus tempora quercu,
86 justus Aristides, teque in loca devia ducit
87 manibus ignorata novis, ubi florida tellus
88 felices Zephyros meliori adspirat odore,
89 flumina qua liquidi septem flaventia mellis,
90 et totidem nivei labuntur flumina lactis,
91 luxuriantis opus naturae, ubi porticus arcu
92 innumero frondens trunco dependet ab uno
93 ordinibus paribus, media consurgit in umbra
94 arbor Taenariae speciem mentita columnae,
95 summa operis pulchri ; terramque cacumine pungit
96 implicito adnectitque comam radicibus imis
97 diffusis late per opaci jugera campi,
98 et circum labyrintheos curvatur in orbes,
99 floribus et variis, et pomo multicolore,
100 et virides ramos plumis distincta volucrum,
101 mulcentum liquidis puram concentibus auram.
102 Illic heroes, proles invicta deorum,
103 et qui magnanimae virtutis castra secuti,
104 heroum per facta alacres ivere, deumque
105 frondosis tecti cameris spatiantur, et artes
106 exercent, vitae memores in saecula priscae,
107 et veteres renovant curas, veteresque labores,
108 curarum immunes onerosorumque laborum.
109 Obvius ingredienti omnis ruit agmine longo
110 coetus, et antiquis socium te manibus addunt,
111 manibus antiquis, qui jus coluere fidemque,
112 tunc cum sola sibi merces pulcherrima virtus
113 esset, et utilitas numquam certasset honesto.
114 Cumque Solone suo te Graecia, cumque Lycurgo,
115 cumque Numa veteri Latium veneratur, et Anco.
116 Quid tamen haec prosunt (quamquam tamen haec quoque prosunt,
117 et lacrimis nostris cursum tua gaudia sistunt)
118 si numquam posthac tete, Pater, adspiciemus ?
119 Visuri in gelido tantum tua nomina saxo,
120 cum nos ad patrios fortuna reduxerit agros,
121 ingratos agros, ubi te, carissime rerum,
122 cernere non liceat ; ubi magni membra parentis
123 occulit exigua tellus injusta caverna ;
124 mater ubi longo tabescit saucia luctu,
125 turgentesque oculos in flumina salsa resolvit,
126 fumantes in aquas nix ut nocturna residit,
127 Cynthius afflavit quam sidere matutino ;
128 frater ubi, et scissis maerens germana capillis
129 udaque frigidulis singultibus ora fatigant.
130 At, si fata sinent, tamen ibimus, ibimus illuc
131 cernemusque lares, quibus, heu, quibus optimus ille
132 extremae moriens submisit lumina nocti,
133 visemus tumulum, et tumulo sua dona feremus,

134 tercentum tepidas turis pro munere guttas,
135 tercentum gemitus, tercentum tristia verba,
136 pro violisque rosisque et pulvere suavis amomi,
137 et sanctam magna ter voce vocabimus umbram.
138 Illa sacros lucos, et fortunata vireta
139 divitis Elysii tunc laeta libensque relinquet,
140 et pennis allapsa petet pernicipibus urnam
141 ipsa suam, ridensque sui ludibria busti,
142 pauca adspirabit leni mihi verba susurro,
143 demulcens curasque meas, et taedia luctus
144 longa supervacui, placidaque ita voce loquetur :
145 "Nate, meae nuper lenimen dulce senectae,
146 et nuper mea cura, et nunc mea cura, beati
147 si curare tamen possunt mortalia manes,
148 quo mihi tot lacrimae ? Non has mea funera poscunt.
149 Poscunt illorum, quorum mors omnia finit.
150 Vixi, et nascenti dederant quam longa sorores
151 stamina, maturo devolvit pollice Clotho.
152 Ipse meos annos vitae sine labe peregi
153 exiguumque mei tellus obscura recondit ;
154 cetera tam parva non compescuntur in urna :
155 pars sed in aethereas sedes, natalia regna,
156 cessit ; pars famae niveae plaudentibus alis
157 ingenti vehitur ventura in saecula triumpho.
158 Quoque magis vario vita est mihi ducta labore,
159 hoc magis elucet fatis exercita virtus.
160 Namque ubi (fabor enim, si sic tua forte leventur
161 vulnera) post primos, aevi juvenilis honores,
162 Principis invicti dono pars una Senatus
163 ipse forem Magni, cujus sub legibus olim
164 antiquae Belgarum urbes, populique potentes
165 submissi, justumque colunt, aequumque tuentur,
166 continuo Batavas Praeses dimittor ad urbes,
167 effrenes populos, qui tunc vix ulla tenebant
168 foedera justitiae, sed vi, sed caede cruenta
169 in commune malum contempta lege ruebant,
170 mutua civili miscentes vulnera bello.
171 Quae mala non illic, quae non discrimina sensi,
172 improba dum meditor confringere facta potentum
173 nobilium, innocuosque homines arcere rapina ?
174 Sed fretus justisque Deis, et Principe justo,
175 fraudibus obsessum atque minis gladiisque nefandis
176 obnixus perrupi iter, Astraetaeque potentis
177 signa per obstantes acies interrita duxi.
178 Armatumque domans sacratis legibus hostem,
179 otia paulatim populis tranquilla paravi.
180 Jamque mali tanti vestigia rara manebant,
181 et jam bis novies sol circumvolverat axem,
182 ex quo coepissem Batavae moderamina gentis,
183 cum me supremo Caesar dignatus honore
184 mandavit rebus magni superesse Senatus
185 Maclinia in clara, sinuoso ubi gurgite Delus
186 fert flavas opulentus aquas, aequataque coelo
187 templaque divorum procerumque palatia surgunt,
188 moeniaque hostili numquam calcata tumultu.
189 Illic in magno dominatu mitia laetis

190 jura dedi populis (sunt haec tibi cognita, nate)
 191 semper in obtutu mentem defixus honesti :
 192 non amor hanc, non hanc odium, non gratia flexit,
 193 non metus, et domitrix regina pecunia rerum.
 194 Saepe videns rejecta alto sua munera vultu
 195 attonitum nostro retulit de limine gressum
 196 indoluitque nocens, quod non minus integer essem.
 197 Sic ego cum fidus domino consultor, et idem
 198 litibus implicitis iudex aequissimus essem,
 199 pauca mihi aggressi malesuadae pondera gazae.
 200 Quod tamen aggressi multo pretiosius istis,
 201 innocuam famam vobis, nomenque relinquo,
 202 quod non una terat revolutis solibus aetas.
 203 Vivite felices et nostras ite per artes,
 204 naturaeque datum consumite legibus aevum.
 205 Tempus erit, cum vos ater quoque pulvis habebit,
 206 vestraque cum nostris calcabunt ossa nepotes
 207 immemores, et de tam multis rara superstes
 208 littera nominibus trita evanescet in urna.
 209 Interea speciem nostri tamen orbis habebit
 210 in vobis (neque enim mea me praesagia fallunt,
 211 nec monitus ventosa meos decerpserit aura).
 212 Quod si vos etiam tenuis fortuna sequetur
 213 praemiaque accedent laudato parca labori,
 214 sic etiam similes non sit pudor esse parenti,
 215 magnarum ne forsitan opum tam dira cupido
 216 in diversa trahat sensim vestigia vitae
 217 ignaros, et dum similes non esse parenti
 218 una in re cupitis, similes non sitis in ulla."

IN MORTEM MERCURINI A GATTINARIA CAROLI V IMPERATORIS MAGNI CANCELLARII.

F_2 v.1 Mercurius moritur. Quid ? Maia natus ? An ille,
 2 dignus qui Maia, qui Jove partus erat ?
 3 Quem sibi vult socium terrenus Jupiter olim,
 4 sive paret pacem, seu grave Martis opus ?
 5 Scilicet ille jacet. Quid non fata improba tentant ?
 6 Hei mihi, numinibus mors quoque dira venit.
 7 Jam tibi fatalem praedico, Jupiter, horam,
 8 qua fratris venias hospes ad antra tui.
 9 Tu quoque nigranti vectus novus advena regno,
 10 Phoebe, poetarum Pieridumque decus,
 11 primus inadsueta pinges albedine regnum,
 12 quod maestum tenebris nox inamoena tegit.
 13 Magna cohors divum, tumulos urnasque parate ;
 14 improba falcifera mors petit, astra manu.

MERCURINUS AD VIATOREM.

F_3 v.1 Disce sequi fatum, quicumque tenentia nostri
 2 nescio quid cineris marmora dura vides.
 3 Disce sequi rectum, quicumque loquacia saxa
 4 ferre vides laudes per freta longa meas.

MARGARETAE AUSTRIAE MAXIMILIANI CAESARIS FILIAE EPITAPHIUM.

F_4 v.1 Caesaribus proavis, et Caesare clara nepote,
 2 Margareta Austriaci sata semine Maxmiliani,
 3 illa ego, quae miti rexi moderamine Belgas
 4 et per femineas percusso foedere dextras
 5 discordes populos tranquilla pace beavi,
 6 hic fato depressa cubo, tellusque tenebit
 7 nescio quid nostro de corpore pulveris atri.
 8 Lustra decem vitae Lachesis vix neverat, et mox
 9 stamina Parca ferox fatalia rupit, iterque
 10 ire per obscurum nulli remeabile jussit.
 11 At vos plebeo geniti de sanguine, quando
 12 ferrea nec nobis didicerunt fata, nec ullis
 13 parcere nominibus, patientius ite sub umbras.

IN EAMDEM MORIENTEM.

F_5 v.1 Ergo nigra dies, et adest quoque flebilis hora,
 2 femina dia, tibi ? Nec mors diademata curat ?
 3 Ergo longa quies tibi jam properatur, et ista
 4 lumina perpetuis claudet nox una tenebris ?
 5 Nec pietas, nec sancta fides, nec nobile stemma,
 6 Belgica nec divos tellus miseranda movebit ?
 7 Scilicet hoc fuerit tumidae monuere quod undae,
 8 et terrae lacrimas suggesserit Amphitrite.
 9 Illa orbanda sua Rectrice, orbanda parente,
 10 jam nunc in riguos meditatur abire liquores.
 11 Parce piis lacrimis tellus, et parce querelis.
 12 Nec mutari opta, quod stat fatalibus olim
 13 ignibus impressum, nullis revocabile votis.

EPITAPHIUM PUELLAE CASTAE.

F_6 v.1 Mille procos habuit, contempsit mille Lycoris,
 2 pacta fides uni ne violata foret.
 3 Uni fida viro cantetur mille poetis,
 4 vivat et in canis incluta marmoribus.

NAENIA IN OBITUM DOCTISSIMI VIRI JACOBI VOLCARDI, BERGENSIS.

F_7 v.1 Ergone Volcardus tenues quoque cessit ad umbras
 2 advena Lethaeum flebilis ad fluvium ?
 3 Regnaque Persephones vidit lugubria furvae,
 4 et rabiosa canis guttura tergemini ?
 5 Flectere nec potuit tetricas galeata Sorores
 6 diva, secatrices vel cohibere manus ?
 7 Infernisque pium vatem prohibere tenebris,
 8 lentaque sub seram ducere fata diem ?
 9 Talia debuerat sancto dare praemia mystae,
 10 vertice de patrio quam salisse ferunt.
 11 Debuerat vati medicus succurrere Phoebus,

12 si quid habent herbae, carmina si quid opis.
 13 At non cura deos hominum ulla remordet, et unam
 14 justus et injustus cogitur ire viam.
 15 Et perstamus adhuc prece, ture, bidentibus, auro
 16 non audituros sollicitare deos !
 17 Nempe jacet raptus primis Jacobus in annis :
 18 Heu, nova Belgarum gloria nempe jacet !
 19 Et jam de sacro quid tandem corpore restat ?
 20 Ossa, cinis, pulvis, nomen inane, nihil.
 21 Scilicet omne suos repetit, repetetque recursus,
 22 et gaudent reditu singula quaeque suo.
 23 Terra tulit cunctos, cunctos quoque terra resolvit,
 24 mutat et in cineres, quod cinis ante fuit.
 25 Nec juvat in longas vitam traducere curas,
 26 pectore caelestes et penetrare domos,
 27 venturumque loqui, cantu pollere, vel herbis ;
 28 artibus, heu, nullis mors remorata venit.
 29 Illa manet servos, dites manet illa tyrannos,
 30 illa manet pueros, et manet illa senes.
 31 Ergo age, qui legis haec, fati cape jura superbi,
 32 teque para tumulo mox moriture pari.
 33 At tu, Musarum formator prime mearum,
 34 vive, vale, tellus molliter ossa tegat.
 35 Nos, quae sola manent pallentes munera manes,
 36 quos semel inferna navita vexit aqua,
 37 carmina sculpemus memori longaeva sepulcro,
 38 quae tua de Stygia nomina valle trahant,
 39 carmina flebilibus lugubre sonantia chordis,
 40 carmina longinquus quae legat, et lacrimet.

EJUSDEM EPITAPHIUM.

F_8 v.1 Hospes, qui calcas loca tristia defunctorum,
 2 siste gradum : cineres hic Iacobus habet.
 3 Aspera quem fata, et nostro nimis invida saeclo,
 4 non sunt maturos passa videre dies.
 5 Volcardo cognomen erat, primordia vitae
 6 Berga dedit, quo stas, nunc habet ossa, locus.
 7 Quidquid Roma docet, quidquid docuistis, Athenae,
 8 noverat : obscurum non minus ivit iter.
 9 Illius ad tumulum Nymphae Parnassides udas
 10 effundant lacrimas, Pallas et ipsa gemat.
 11 Illius ad tumulum succrescat Apollinis arbor,
 12 mixtaque cum violis lilia, cumque rosis.

JACOBI PLATPAYS MORINI MUSICI IMPERATORIS CAROLI V. EPITAPHIUM.

F_9 v.1 Cui sors innocuo frustra quaesiverat hostem,
 2 armavit socias in mea fata manus.
 3 Perfidus incauto ferrum demisit in armos,
 4 labentem solis destituitque locis.
 5 Sanguine rorantes caedem lacrimantur olivae.
 6 Sub quibus exspirans ultima verba dedi.
 7 Et mea turmatim gemuerunt fata volucres,

8 haec fuit una meae conscia turba necis.
 9 Flete piae volucres, et nos quoque flevimus umbras,
 10 claraque sunt cantu multa sacella meo.
 11 Infantem tellus Morinum nutrit amoena :
 12 Arragonum montes sunt mihi pro tumulo.
 13 Caesaris ante foco solemnia sacra peregi,
 14 quam peterem moriens non fuit ara mihi.
 15 Caeruleos sparsi fumos ante ora deorum,
 16 sanguine Styx late nunc rubet atra meo.
 17 Tu quicumque cupis meliori occumbere fato,
 18 suspectum Fidei nobile nomen habe.

NAENIA IN OBITUM JOANNAE FONTANAE BITURICENSIS MATRONAE CLARISSIMAE.

IPSA LOQUITUR.

F_10 v.1 Muneribus quos terra suis dulcissima nutrit
 2 haec legite (o quorum de grege nuper eram.)
 3 Quae muti cineres alieno dicimus ore,
 4 et semel humana discite lege mori.
 5 Fidite nec formae, nec opes numerate, nec annos :
 6 omnibus his poteram vincere, victa cado.
 7 Nec si longa graves circumdant atria cerae,
 8 nec si multa pia victima caesa manu est,
 9 nec si plura sacras fragrarunt tura per aras,
 10 nec si artes vobis mille dedere Dei,
 11 linguaque contigerit quae possit flectere Ditem,
 12 credite lanificas fallere posse deas.
 13 Talia si possent rigidas mollire Sorores,
 14 nunc quoque, qua terimur, contereremus humum,
 15 non parvum in gelido gereremus marmore nomen,
 16 nomine cum veteri quam male conveniens !
 17 Nomen quod toties lacrimis gemituque sequetur
 18 conjugis orbatu nunc quoque magnus amor.
 19 Unde prius visus carpebat, et omnia laeta,
 20 melle quod Hyblaeo dulcius ante fuit.
 21 Hei mihi, quem video longo rauescere questu,
 22 tundentem gemina pectora maesta manu,
 23 horrentem impexisque comis, et vestibus atris,
 24 manantem lacrimis insatiabilibus,
 25 o dulcis conjux, sunt haec rata jura Deorum :
 26 omnibus ad manes una eademque via est.
 27 Ante tuos obitus sibi me Libitina sacravit.
 28 Hoc est, quod Superos saepe precata fui.
 29 Me tibi fles raptam ? Gaude posuisse dolores.
 30 Clade cita perii ? Sum cruciata minus.
 31 Non ego tergemini canis indignantia rostra
 32 vidi, non oculos terruit Hydra meos.
 33 Moenia non hic sunt triplici circumdata muro,
 34 flammanti Phlegeton quae ruber ambit aqua.
 35 Saxa, rotae, scopuli, fugientia flumina, vultur,
 36 tale nihil noster mitior orbis habet.
 37 Blanda quies habitat, et longis otia festis,
 38 et pax Palladia fronde revincta caput.
 39 Hinc curas hominum tot despectamus inanes,

40 et mixta alternis gaudia falsa malis.
 41 Hinc tumuli ridere mei ludibria possem,
 42 ille foret vestrae ni pietatis opus.
 43 Tu facis obscura ne putrescamus in urna,
 44 inscribens querulis clara sepulcra notis ;
 45 quae tam concordēs longum testantia flammās,
 46 diffundant titulos in nova saecula meos.
 47 Pro quibus officiis longam tibi numina vitam,
 48 et vacuam curis dent, vacuamque metu.
 49 Ne tenerae soboli geminent tua funera luctum,
 50 quorum onus in patrio nunc jacet omne sinu.
 51 Ast ubi sera dies fatalem vexerit horam,
 52 quae solvat vinculis te quoque corporeis,
 53 laetus in Elysia mecum spatiabere ripa,
 54 qua lauri vitreas lucus inumbrat aquas.

EJUSDEM EPITAPHIUM.

F_11 v.1 Hospes, Ioannae hoc Fontanae habet ossa sepulcrum,
 2 hanc Venus et Juno flent simul, et Charites,
 3 matronale decus Juno, Venus aurea formam,
 4 illius extinctam flent Charites charitem.
 5 Nobilitatem et opes ab origine duxit avita,
 6 virtutem variam mens generosa dedit.
 7 Splendida de puro gestabat nomina fonte,
 8 qui, puto, Pegaseo de pede fudit aquam.
 9 Pectora crystallo pellucidiora gerebat ;
 10 noverat et quicquid Franca Poesis habet.
 11 Docta melos digitis, liquido seu fundere cantu,
 12 quale canit dulci gutture serus olor.
 13 Non ignara jocos, et non ignara choreas,
 14 docta loqui blandum, sed mage docta fidem :
 15 moribus his visa est dignissima conjuge, cujus
 16 saepe tulit facilem regia charta manum.
 17 Nupta cui primo viridantis flore sub aevi,
 18 enixa est socii pignora quinque tori.
 19 Cum quo communi partita est omnia fato,
 20 forsitan et cuperet nunc quoque flere simul,
 21 mitius ut ferret divisos ille dolores,
 22 inconsolandos qui modo dat gemitus.
 23 At vos mortales, quorum non laeserat ullum,
 24 ferte rosas illi, quae rosa nuper erat.

HIERONYMI MORESINI MEDIOLANENSIS,
 BITURIGIBUS IN LACUM UNA CUM EQUO, CUI INSIDEBAT, DEMERSI,
 EPITAPHIUM.

F_12 v.1 Hac Moresinus habet cineres Hieronymus urna,
 2 moenia qui voluit dum peregrina sequi,
 3 nomen ut acciperet a vulgi nomine dispar,
 4 Ausonidum dulci de regione procul,
 5 mersit in obscena juvenilia vota palude,
 6 perque necatrices ad Styga navit aquas.
 7 At tu qui transis, umbrae jace verba silenti,

8 qualia vis cineri sera venire tuo.

FORMOSI JUVENIS HEDUI, IMP. CAROLI V POCILLATORIS EPITAPHIUM.

F_13 v.1 Marmorea juvenem facie croceoque capillo
 2 miscentem nostro pocula casta Jovi,
 3 Jupiter, aetherias cur, invide, tollis ad arces ?
 4 Quod puer Iliacus, non erit iste tibi.
 5 Ultra tuum melius numquam Saturnia crimen,
 6 formosum thalamis inferet ipsa suis.

EPITAPHIUM PETRI EVERARDI, MONACHI, FRATRIS OPTIMI.

F_14 v.1 Nobilis et Legum titulis et Praeside patre,
 2 molliter exactis vitae viridantibus annis
 3 aestas occiduum dum fervida tangeret aevum,
 4 Petrus ego hic jaceo. Non me plorate sepultum :
 5 tunc plorandus eram, cum me vis invida sortis
 6 lugubri juvenem fato, quo lenius hoc est,
 7 involvit, claroque viam praeclusit honori.
 8 Venimus ad metam, (lacrimis haec dicite vestris
 9 o, quicumque meo lugetis funere maestis)
 10 nascenti leges quam praefixere deorum.
 11 Vivite felices, nec me duxisse dolete
 12 tempus in hoc vitam, quod pertransire negarat
 13 fatorum series caelique volubilis ordo.

EPITAPHIUM FAUSTINI CUJUSDAM

F_15 v.1 Ferventi Veneris Faustinus ab igne perustus
 2 hic jacet, et tecto stillantes excipit undas,
 3 quae vel inextinctas sedent post funera flammis.
 4 Tu quicumque pares sensisti forte favillas
 5 hospes, et ista legis, dic : "Molliter ossa quiescant,
 6 nullaque sentiscant onerosae pondera terrae."

EPITAPHIUM MICHAELIS SENIS.

F_16 v.1 Quem cernis, numerosa unus de plebe Michael,
 2 extremo in vico pueros elementa docebam :
 3 insuper, aedilis complures pervigil annos
 4 sacram Christiparae servabam Virginis aedem.
 5 Igotam ignotus duxi sine crimine vitam.
 6 Dum prope tricenos ageret ter Cynthus orbes,
 7 ignotus moriturus eram, sed noluit illud
 8 quisquis erat plastes, nostri studiosus opinor,
 9 qui vultus formam rari miratus, et ausus
 10 tentare ignotam digitis renuentibus artem,
 11 os, oculos, frontem, nasum, rugasque seniles,
 12 adsuetosque habitus, argilla duxit ab uda,
 13 meque hic spectandum saeclo posuit venturo,
 14 exemplum viridis bene portataeqq̄ senectae.

15 At tu, qui transis, dic saltem : "Molliter hujus
16 ossa cubent, nullaque gravi tellure premantur."

EPITAPHIUM MENELAI CUJUSDAM.

F_17 v.1 Inter opus medium lasciva morte solutus,
2 hic situs est, et init jam Menelaus humum :
3 qui blandae Veneri vitae sacrauerat annos,
4 haud aliter vitam ponere dignus erat.

EPITAPHIUM HENRICI DUYSTII, DELFENSIS.

F_18 v.1 Hunc tumulum nati caro posuere parenti,
2 pro patriis curis, pro dulci munere lucis,
3 lugubresque notas tristi inscripsere sepulcro.
4 Hoc tumulo Henricus serrat sua Duystius ossa,
5 illum flent quicumque colunt justumque piumpue,
6 Delfica praecipue tellus, primordia vitae
7 quae dedit, officiumque experta est cujus abunde.
8 Sed longe ante alios illum deplorat egena
9 turba hominum, illius nutriti largiter aere.
10 Viventum namque is juxta vitaeque sequentum
11 prospiciens hominum, quos indiga fata morantur,
12 corpora multa suis opibus per saecula pavit.
13 Illum igitur Rex caelicolum pro talibus actis
14 felicem vocet ad nitidi templa ardua caeli,
15 pax ubi laeta habitat nullis obnoxia curis.

EPITAPHIUM CLARISSIMAE MATRONAE FRANCISCAE AB HARO,
UXORIS MAXIMILIANI TRANSSYLVANI.

F_19 v.1 Hoc saxo Francisca tegor, quae stemmatis Hari
2 conjugio felix, Maxmiliane, tuo
3 Transylvane fui, potui cui nupta placere.
4 Quis fuerit genitor, quaeris ? Iberus erat.
5 Belga fuit genitrix, lustris vix quinque peractis
6 egit in ignotas me fera Parca vias.

ALIUD

F_20 v.1 Heus, hospes, heus, qui neglegenter praeteris
2 (sortis memor fortasse non satis tuae)
3 loca haec sopori destinata mortuum,
4 sta, donec hic quae dormiat cognoveris,
5 Francisca claris clarior parentibus,
6 virtute, castitate, moribus probis,
7 bonisque, quae vere beant, clarissima,
8 formam cui suae parem dederat Venus,
9 terra sub ista nescio quid pulveris
10 habet vetusti, et obsoleti et putridi.
11 Heu fata, saevis saeviora tigribus,
12 num sic decebat, obsecro vos, ut prius

13 quam se videret vivere, et lustrum satis
 14 quintum peregisset, nigrantem regiam
 15 Proserpinae subiret intractabilis,
 16 illa, illa longis digna saeculis vivere ?
 17 Et nunc maritus heu misellus in toro
 18 vacuo gemens, lugensque, et incusans deos,
 19 frustra suam desideraret turturem ?

IN OBITUM ORNATISSIMI ADOLESCENTIS CAROLI SUCQUETI,
 FLANDRI JURECONSULTI EXIMII,
 NAENIA.

F_21 v.1 Tristia defleram mendacis nuntia fati,
 2 Sucqueti miseram quae retulere necem.
 3 Idem veracis deflebo nuntia fati,
 4 di facerent, labor hic vanus, ut ille, foret !
 5 Et nostras iterum damnaret fama querelas,
 6 iret et in justos irrita charta rogos !
 7 Sed nimium veris rumoribus omnia constant,
 8 si qua venit toties fama, timenda venit.
 9 Dic, puer, ane aliquis letum perscripsit acerbum ?
 10 Et si aliquis, quisnam, dic, age, quoque modo.
 11 Littera lugubri Taurina venit ab urbe,
 12 ah dolor ! Et fidae sunt quoque signa manus.
 13 Quisquis es, o vellem scriptor mendacior esses :
 14 hoc melius quam quod sic moreretur erat,
 15 sic moreretur amor Charitumque novemque dearum,
 16 Astraetae veteris sic moreretur amor ;
 17 iret et in cineres tabumque liquesceret atrum,
 18 quo nihil in vitam venit amabilius :
 19 seu circumfusae sublimia jura catervae
 20 dictaret, celsa conspicuus cathedra ;
 21 nobile seu caneret facili testudine carmen ,
 22 sive puellares duceret arte choros,
 23 sive suos inter dulcis conviva sodales
 24 mulceret variis fata propinqua modis.
 25 Ergo fatali lex haec rata stat decreto,
 26 serviat ut nulli vita fugax domino ;
 27 sed modo praeripiat, quem vix concesserat, usum,
 28 lenta modo effeto in corpore desideat.
 29 Sic vivunt homines, quos aegra senecta fatigat,
 30 improba nec possunt per sua vota mori.
 31 Sic, Sucquete, jaces, et dulci florida vere
 32 membra superjecta nempe teguntur humo,
 33 qualia, cum rigido pede conculcantur arantis,
 34 lilia foedantur quo viguere solo.
 35 Nec frater muto persolvit justa sepulcro,
 36 nec soror effusas praesecuitque comas,
 37 nec longe ante alios infelicissima mater
 38 lenivit morbi taedia longa tui,
 39 et, cum supremas tetigit confinia metae,
 40 ore suo vitam carpsit ab ore tuo,
 41 luminaque occlusit longo damnata sopore,
 42 et dixit morti : "Cur mihi tarda venis ?
 43 Tunc tempestive poteram migrare sub umbras

44 carus adhuc natus cum mihi salvus erat.
 45 Ille suis manibus nostros clausisset ocellos,
 46 rorasset lacrimis et mea busla suis ;
 47 mollibus et violis sparsisset triste feretrum,
 48 dixisset cineri verba suprema meo."
 49 Talia non questa est genitrix in funere maesto,
 50 multa sed his queritur nunc graviora tamen.
 51 Et vellet partus bona non sensisse beati,
 52 et vellet nato jam caruisse diu ;
 53 et mallet caelebs, ut non foret orba, fuisse,
 54 nam mala respectu sunt graviora boni.
 55 Te quoque credibile est opulentas, Flandria, glebas
 56 respersisse vagi fluctibus Oceani,
 57 ut fleres longe venerandi funus alumni,
 58 tollere qui poterat nomen in astra tuum.
 59 Mitte malas lacrimas, jam nunc tibi nomen ab illo,
 60 Flandria, pars melior qua patet orbis, habes.
 61 Tu modo, tu juveni vacuum compone sepulcrum,
 62 in patriam manes et revocato pios.
 63 At tumulo in viridi, quam vivo laeta parabas,
 64 effundat castas laurus opaca comas ;
 65 taleque perpetua caeletur carmen in urna :
 66 "Colle sub hoc nullus membra sepultus habet.
 67 Hunc tibi vel tumulum posuit, Sucquete, vel aram,
 68 Carole, sat felix Flandria te genito.
 69 Gentibus Alpinis mortis concessit honorem :
 70 quisquis es, in longis disce pericla viis."

EPITAPHIUM LUCII TABELLARII, IN VIA A LATRONIBUS OCCISI.

F_22 v.1 Et tumuli, et mortis sedem sortitus eandem,
 2 hac situs est, moriens quam rubefecit, humo
 3 nuntius infelix, vita spoliatus et auro.
 4 Securum vacuus carpe viator iter.

EPITAPHIUM DESIDERII ERASMI ROTERODAMENSIS.

F_23 v.1 Defunctus vita, longique laboribus aevi,
 2 hac situs est tandem doctus Erasmus humo.
 3 Quem licet in sera rapuerunt fata senecta,
 4 et vitae saturum sopiit alta quies ;
 5 nos tamen hunc, velut immaturo funere raptum,
 6 flemus, et effusis diffluimus lacrimis.
 7 Ille igitur periit ! Et quondam illa, illa diserta,
 8 et dulci manans nectare, lingua tacet !
 9 Ingeniumque sagax, et amor virtutis et aequi,
 10 omnia sub parvo condita sunt tumulo !
 11 Illum igitur canos Virtus lacerata capillos,
 12 et Charites lugent, luget et ipsa Fides ;
 13 collectasque rosas Parnasi ad flumina Nymphae
 14 inspargunt sacro Pierides tumulo.

EPITAPHIUM NICOLAI HACQUINI,
JURICONSULTI, HENRICI VIII ANGLORUM REGIS AD CAROLUM V IMP. LEGATI.

F_24 v.1 Missus ad occiduos regis legatus Iberos,
 2 cujus caerulei venerantur scepra Britanni,
 3 sicne jaces sicca Arragonum tumulatus arena,
 4 qua Barbastra vetus rapido jacet accola Cingae,
 5 Hacquine, et legum studiis, et divite praestans
 6 eloquio, regisque decus patriaeque remotae !
 7 At tibi rex reditum incolumem dulcesque tuorum
 8 amplexus, senioque tuo tranquilla parabat
 9 otia, nec meritos non adjiciebat honores,
 10 auratoque pedo dextram, mitraque capillum
 11 exornans, sed fata deos superantia reges
 12 vota caduca tua, et domini fregere potentis ;
 13 totque tibi exhaustos terraque marique labores,
 14 et studia, et varias artes, et inutile nomen,
 15 omnia tam parvo clauserunt dura sepulcro.
 16 Est tamen, est aliquid quod inertia busta relinquens
 17 aethereas longe vivax prorumpet in auras,
 18 evectum niveis famae per inania pennis.
 19 Atque aliquis veniens longinquis hospes ab oris,
 20 marmor ab externa clarum venerabitur umbra,
 21 et dicet lacrimans : "Heu , non tibi debita tellus
 22 ista fuit", tenerisque rosis miscebit amomum
 23 et nigras urnae violas et lilia fundet,
 24 manibus et longam optabit cinerique quietem.

EPITAPHIUM FRANCISCI VALESII, REGIS FRANCISCI FILII, DELPHINI FRANCIAE.

F_25 v.1 In spem nutritus regni, Francisce petentis,
 2 saeva deos contra dum parat arma pater,
 3 occidis, heu, primo pubescens flore juventae,
 4 et te cum vita spes tua deseruit.
 5 Fortunate puer, non signa hostilia cernes
 6 et posita in victo Martia castra solo,
 7 cum magnus Caesar, victor terraque marique,
 8 vastabit forti Gallica regna manu.
 9 Illa manent patrem, quem ultricia fata reservant,
 10 ipse malis possit ut superesse suis.

NAENIA IN MORTEM THOMAE MORI.

F_26 v.1 Exstinctum flemus crudeli funere Morum,
 2 et regem inmanem, Veneremque cruore madentem,
 3 Fortunaeque vices, et laesae pellicis iram.
 4 Vos mihi Pierides feralia carmina Musae
 5 dictate, et mecum vatem lugete peremptum,
 6 insignem cithara, qui vos persaepe solebat
 7 vertice ab Aonio molli deducere versu.
 8 Tuque adeo mihi, Calliope, quae regia facta,
 9 et casus miserorum hominum cantare perita es,
 10 nec caedes exhorrescis memorare cruentas,
 11 dextera ades. Tu vero, Erato, tu, blanda Thalia,

12 truncatum interea tumulo componite corpus,
13 exsequias celebrate, adspergite floribus urnam
14 et tumulo castos adspiret laurus odores,
15 sacrum laurigeri vatis complexa sepulcrum.
16 Te quoque deflerem, divum venerande sacerdos,
17 Ruffensis praesul populi, qui dura subisti
18 fata prior, sancta pro religione tuenda ;
19 sed vatem canimus vates : tua maxima facta
20 vulgabunt alii, et praeclara volumina condent
21 attollentque tuum super aurea sidera nomen.
22 Tempus erat mundi cum jam adventante ruina
23 occideret senio justum, et labefacta deorum
24 religio caderet, tot sustentata per annos,
25 mortalesque fidem tota de mente fugassent ;
26 at dolus et fastus, cumque impietate libido
27 ambitioque, et livor edax, fulvi et sitis auri,
28 grassantes late, qua sol sublimis utrumque
29 adspicit Oceanum, geminas quoque adspicit Arctos,
30 miscebantque profana sacris, et sacra profanis.
31 Tum Furiae ex imis Erebi emersere tenebris,
32 sanguineas capitum quatientes undique cristas,
33 armatae facibus, Phlegethonteoque veneno.
34 Nec mora. Caeruleos subito petiere Britannos,
35 fatorum gnarae ; tempus namque adfore norant,
36 cum rex Henricus, rejecto conjugis usu,
37 in vetitos rueret thalamos famosus adulter,
38 atque alias taedas, alios celebrans Hymenaeos,
39 mentis inops, regni indotatam in parte locaret
40 vilem animam, et nullo majorum stemmate fultam.
41 At regina prior, thalamis ejecta maritis,
42 ingratum in lacrimis et luctu duceret aevum ;
43 illa quidem magni de sanguine Ferdinandi,
44 primus qui Mauros regnis exegit avitis,
45 quo numquam Hesperia regnasset major in ora,
46 ni sua progenies, majori nomine, Caesar,
47 mundi sceptrum tenens, titulos superasset avorum.
48 At postquam dirae subierunt regia tecta
49 Eumenides, tremuit tellus et conscius aether
50 horruit, Oceanus pater et circumflua Tethys
51 imis delituere vadis : rex ipse, maritus
52 jam novus, in primis et adhuc complexibus haerens,
53 extimuit facti poenas iramque deorum.
54 Illae autem ut videre novos celebrari Hymenaeos,
55 gaudebant pariter Dirae, pariterque dolebant :
56 crimine gaudebant, sed non auctoribus ipsis.
57 Patratum doluere nefas, nimiumque potentem
58 et Venerem, et volucris tela indignantur Amoris.
59 Ergo aliud meditantur opus, dirumque frementes,
60 pellicis insinuant atrum in praecordia virus,
61 et stolido regi eripiunt mentemque animumque.
62 Ille scelus firmare suum majoribus ausis
63 enitens, sceleri scelus adjicit, et contemptis
64 Pontificis summi monitis, (quibus ille jubebat
65 ejiceret moecham thalamique in jura vocaret
66 legitimam uxorem, solitoque ornaret honore)
67 ipse sibi jus Pontificis nomenque sacratum,

68 quam late sua regna patent, usurpat et omnem
69 sacrilegus veterem convellit religionem ;
70 et gravius peccat, ut non peccasse putetur.
71 Egregia interea pellex quae gaudia sentit ?
72 In quorum jugulos miserum non armat amantem ?
73 Praecipue si quos probitas suspecta, et honesti
74 prodit amor ; More infelix, sic te tua virtus
75 perdidit ! O aevi scelus atque infamia nostri !
76 Tu regni decus et regi carissimus idem
77 consultor fueras, nec iudex aequior alter
78 jura dabat, heu, qua pensant mercede laborem
79 fata tibi ? Poteras illaeram ducere vitam,
80 sed minus esse probus. Vitae quam dura relicta
81 condicio fuit insonti ! Si vera professus,
82 fatalem exciperet cana cervice securim :
83 sin vitam falsa vellet ratione tueri,
84 applaudens stupris, infandaeque ambitioni,
85 pollueret moresque suos vitamque priorem,
86 offensamque hominis, mutaret numinis iram.
87 Ille autem justique tenax cultorque deorum,
88 sponte sua ferro caput obtulit, et procumbens
89 purpureum sacro fudit de pectore rivum.
90 Fortunate senex animi, tibi regia caeli
91 tota patet, tibi Rex superum victricia certa
92 porrigit ipse manu, magno applaudente senatu
93 caelicolum, et volucres recinunt paeana ministri,
94 omnes intonsi, niveis in vestibus omnes,
95 quales ad vitreum Maeandri flumen olores
96 mille volant plauduntque alis, et dulce canentes
97 caeruleum nitidis praetexunt aethera pennis.
98 Quis tibi tum sensus, maestissima Margarite,
99 nata patris. Miseri ? Quanto tua lumina fletu
100 undabant ? Quantos, heu heu, de pectore anhelu
101 ducebas gemitus, corpus cum flebile patris
102 exanimum adspiceres indigna caede perempti ?
103 Nam te credibile est, quamquam patris incluta facta
104 aeternam tibi conciliant famamque decusque,
105 non potuisse oculos compescere tempore in illo,
106 quin durum fleres casum, patrisque cruorem
107 ablueres lacrimis, et circumfusa cadaver
108 oscula pallidulo ferres moribunda parenti,
109 tu tamen has aufer tenero de pectore curas,
110 nec lacrimis corrumpe tuos, pulcherrima, vultus.
111 Sic te Phoebus amet, sic, o doctissima virgo,
112 adjiciat numero te Calliopea sororum.
113 Interea truncum jacet et sine nomine corpus,
114 spectaclum populo dirum ; at polluta cruore
115 canities, ne quid sceleris restaret inausum,
116 neu tantos aetas nesciret sera furores,
117 praefixa infami spectanda imponitur hasta ;
118 deformata tamen primum ferventibus undis,
119 duceret informes donec cutis aspera rugas,
120 labraque in horrendos traherentur lurida rictus,
121 ne, quod Roffensi acciderat, suffusa rubore
122 mortua vitalem praeferrent ora colorem,
123 turbarentque pium rursus miracula vulgus.

124 Hocne tuae Veneri, rex o inceste, tropaeum
 125 erigis ? Et mollem placari sanguine divam
 126 posse putas ? Iras in te convertet acerbis
 127 ipsa Venus, vindexque tuos subvertet amores ;
 128 atque aliis iterum, atque aliis tua pectora flammis
 129 uret, ut infamis veniant tibi taedia vitae.
 130 Tunc memor indignae caedis, tua noxia facta
 131 flebis, et invisita sumes de pellice poenas.
 132 Pellaeus juvenis furiis agitatus, et ira
 133 incandens, multoque animum inflammatus Iaccho,
 134 dilectum ante alios inter convivia Clitum
 135 transfodit ferro et respersit sanguine mensas.
 136 At postquam furor ille animi discussus, et omnis
 137 consumptus vini vapor est mentemque recepit,
 138 ipse manus inferre sibi, sociumque per umbras
 139 velle sequi, et miseros incassum fundere questus.
 140 Tresque adeo maestus soles, totidem quoque noctes
 141 exegit lacrimans, luctu confusus acerbo.
 142 Nequidquam ; neque enim luctu revocantur acerbo
 143 pallentes animae, quas per vada languida vexit
 144 Portitor, atque avido trajectos tradidit Orco.
 145 Tu quoque dilectum frustra plorabis amicum,
 146 cum tibi discusso mens pura redibit amore.
 147 Interea horrida rumpet tua somnia forma
 148 umbra viri multoque caput foedata cruore,
 149 quo te cumque feres, dira occursabit imago,
 150 supplicium saevis exposcens horrida factis.
 151 Namque tuis donec regnis exutus, et exsul
 152 extremam implorabis opem, rerum omnium egenus,
 153 Morus inultus erit. Nulla est violentia longa,
 154 vindictaeque moram poena graviore rependunt
 155 numina, justitiam quorum haud effugerit ullus.
 156 At nos aeternum tua tristia funera, More,
 157 insolabiliter deflebimus ; o bone vates,
 158 tu mortem sancta pro religione subisti
 159 crudelem. Tibi divinos pro talibus ausis
 160 mortales debent cultus, tibi templa, tibi aras.
 161 Aeternum, venerande senex, salveque valeque,
 162 seu colis Elysium, seu caeli lucida templa ;
 163 accipe et hunc nostrum non dura fronte laborem.

EJUSDEM EPITAPHIUM. INTER HOSPITEM ET CIVEM DIALOGUS.

H.

F_27 v.1 Quis jacet hic truncus ? Cujus caput ense recisum est ?
 2 Quae natat in taetro sanguine canities ?

C.

3 Hic ille est Thomas Morus. Sic fata rependunt
 4 tristia multa bonis, et bona multa malis.
 5 Quae circumsistunt Divae lugubre cadaver ?

H.

6 Diva tenax veri, sancta Fides, Nemesis.

C.

7 Quarum prima fuit causa, et fuit altera mortis ;
8 ultrix injustae tertia caedis erit.

ALIUD.

F_28 v.1 Ad Styga cum Mori venisset flebilis umbra,
2 pallidulum largo sparsa cruore caput,
3 Portitor ingemuit, trux Cerberus ora repressit,
4 Persephone salsis inmaduit lacrimis,
5 et, quem rex leto infami damnarat adulter,
6 absolvit Stygii judicis urna reum.
7 Illum rex Erebi, pro constanti probitate,
8 addidit infernis iudicibus socium,
9 caedis ut auctorem, fuerit cum morte peremptus,
10 addicat diris supplicium meritum.
11 Viventem interea infestet torva umbra tyrannum
12 semper, et ante oculos sanguinolenta volet.
13 Et vos, Eumenides, sparsis per colla colubris,
14 illius ultrices tendite in ora faces.

EPITAPHIUM CATHARINAE REGINAE ANGLIAE.

F_29 v.1 Illa ego, quae poteram regi placuisse marito,
2 et forma, et castis moribus et genere,
3 postquam me thalamis exclusit adultera pactis,
4 emorior, solo funere grata viro.
